

SS. PONTIFICIS approbationem, et confirmationem Concilii Baltimorensis Decretorum, sequens ostendit Rescriptum.

EPISTOLA

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM.

ILLĒ AC REVĒME DOMINE,

GRATISSIMUM mihi est nuntiare Amplitudini Tuæ, ac per te ceteris Americæ Septentrionalis Episcopis, universum Decretorum Synodi Provincialis Baltimorensis, mense Octobri anno 1829 habitæ, examinationis negotium feliciter absolutum esse. Non modò enim S. Congregatio, sed et ipse SSĕmus Dñus PIUS PP. VIII ea decreta probavit, iisque Apostolicæ auctoritatis robur adjecit, prout ex Decreto his litteris adjecto Amplitudo Tua intelliget. Nonnulla quidem tum S. Congregatio, tum SSĕmus Dñus Noster Amplitudini Tuæ præ oculis ponenda esse existimavit, quæ demonstrant quibus in locis memorata Decreta immutationem aliquam mereantur. Hæc Amplitudini Tuæ insinuantur in Instructione, quæ etiam his litteris adjicitur. Persuasum est S. Congregationi, ac Sanctitati Suæ, Amplitudinem Tuam libenti animo excepturam esse quæ in memoratâ Instructione explicantur, ac curaturam ut Decreta eâ ratione immutata in lucem edantur. Facultates etiam quæ in supplici libello Amplitudinis Tuæ, et ceterorum Episcoporum qui Synodo interfuerunt nomine ad SSĕmum Dñum Nostrum die 24

Octobis transmissio petebantur, Sanctitas Sua benignè concessit, quemadmodum ex tribus aliis Decretis comperies, quæ item his litteris adjiciuntur.

Restat nunc, ut susceptâ hac occasione, Amplitudini Tuæ, et ceteris istarum Diœcesum Episcopis, S. Congregationis et SSĕmi Dñi Nostri nomine, gratuler ob eximium illud studium Religionis amplificandæ quo præstatis, ac ob singularem disciplinæ Ecclesiasticæ custodiendæ amorem, cujus adeò perspicuum testimonium decreta ipsa Synodi Baltimorensis præ se ferunt. Pollicetur verò vobis S. Congregatio et Sanctitas Sua, vobis consilio et auctoritate suâ adfuturam omni in re quæ vobis utilis, et Religionis incremento opportuna esse poterit.

Precor Deum interea ut Amplitudinem Tuam diu sospitem ac felicem servet.

Romæ ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propagandâ fide, die 16 Octobris 1830.

D. M. CARD. CAPPELLARI, *Præf.*
C. CASTRACANE, *Secret.*

DECRETUM

SACRÆ CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

INTER præclara RR. PP. DD. Archiepiscopi Baltimorensis, et ceterorum Episcoporum Diœcesum in Fœderatis Americæ Septentrionalis Provinciis existentium, erga Religionem Catholicam merita, S. Congregatio de Propagandâ Fide illud jure recenset, quòd ad majus Ecclesiæ bonum in iis regi-

onibus procurandum, atque ad Fidei Catholicæ incrementum unanimes consilio stabilis obtinendum, Provinciale Synodum mense Octobri anno 1829 Baltimori habuerint. Excepit autem veluti novum observantiæ erga Sedem Apostolicam perspicuum testimonium, Archiepiscopi et Episcoporum vota precesque, ut quæ in Synodo illâ statuta ac decreta fuerant, accuratè ab ipsâ examinarentur, ac deinde, si digna reperta fuissent, auctoritate Apostolicâ confirmarentur.

Cùm memoratæ igitur Synodi Baltimorensis decreta in generali Sacræ Congregationis conventu, die 28 Junii anno 1830 habito, referente Eñno ac Rñno D. PETRO S. R. E. Cardinali CAPRANO, examinata ac maturè perpensa fuissent; cunctis EEñnorum ac RRñnorum Patrum S. R. E. Cardinalium sacro Concilio Christiano nomini propagando præpositorum suffragiis dignissima judicata sunt, quæ amplissimis laudibus commendarentur, et confirmarentur.

Quoniam verò S. Congregationis ea quoque mens et sententia fuit, ut ad ampliorem Synodo splendorem ac Decretis firmitatem comparandam, SSñno Dño Nostro PIO, Div. Prov. PP. VIII preces fierent, ut eadem Decreta Apostolicâ auctoritate suâ confirmaret, Bñus PATER, audito per R. P. D. CASTRUCCIUM CASTRACANE, S. Congregationis Secretarium, EEñnorum Patrum eâ de re concordi suffragio, Decreta Synodi ipse perlegit, pro summâ sapientiâ suâ perpendit, ac laudans singulare illud Religionis studium quod in decretis elucet, et mirabilem illam industriam, cum permagnâ doctrinâ conjunctam quâ Archiepiscopus et Episcopi utuntur in excolendâ vineâ Domini iis commissâ, Decreta Synodi Provincialis Baltimorensis auctoritate Apostolicâ, die 26

Septembris anno 1830 confirmavit, eaque in Fœderatæ Americæ Septentrionalis Diœcesibus servari jussit.

Datum Romæ ex Ædibus dictæ S. Congregationis, die 16 Octobris 1830.

D. MAURUS CARD. CAPPELLARI, *Præf. P.*

C. CASTRACANE, *Secr.*

Ceterum Sacra Congregatio pauca quædam in Synodi Baltimorensis Decretis immutanda ostendit et insinuavit, ut patet ex sequenti Instructione.

INSTRUCTIO

CIRCA DECRETA A SYNODO PROVINCIALI BALTIMORENSI
EDITA.

SACRA Congregatio de Propagandâ Fide, in generali Conventu die 28 Junii anno 1830 habito, accuratè perpendit Acta et Decreta Synodi Provincialis Baltimorensis mense Octobri anno 1829 celebratæ. Summis quidem laudibus extulit Archiepiscopi et Episcoporum singulare studium Religionis incrementum et splendorem in Diœcesibus quibus præsumt procurandi: nonnulla tamen eis præ oculis ponenda esse censuit, quæ ostendant quibus in locis ea Decreta immutationem aliquam mereantur. Hæc igitur S. Congregatio Episcopis per modum instructionis insinuanda esse existimavit.

In primo Synodi Baltimorensis Decreto statuitur Sacerdotes, qui sacro Ministerio in Diœcesibus Fœ-

deratæ Reipublicæ funguntur, ad nutum Episcoporum amovibiles esse ab Ecclesiis et Missionibus quibus inserviunt. Consentaneum Concilio Tridentino est (Sess. 23, Cap. 16 de Ref.) ut Sacerdotes non ordinentur nisi adscribantur Ecclesiæ aut pio loco, pro cuius necessitate aut utilitate assumuntur. Generatim Ecclesia, cui Sacerdotes inservire debent, est Diœcesis ad quam pertinent, in specie verò est locus ille cui Episcopus eos destinat. Synodus Baltimorensis hanc amovibilitatem ad nutum Episcoporum deducit ex solempni obedientiæ promissione à Sacerdotibus factâ Episcopis cum ordinati sunt, atque idcirco in primo illo Decreto statuitur, *vi promissionis in Ordinatione emissæ, eos teneri ad obediendum Episcopo præcipienti ut cuilibet Missioni intra Diœcesim suam vacent.* De hac obedientiæ promissione Benedictus XIV sermonem habens (Constit. 25, Tom. 2 Bullarii sui: *Ex quo dilectus.*) hæc habet: “Neque nos pro nudâ inanique formulâ habendam esse putamus solempnem illam obedientiæ et reverentiæ sponsionem, quam Presbyter facit in manibus Episcopi ordinantis, juxta vetustissimum Ecclesiæ morem: quinimmò libenter agnoscimus Presbyterum hujusmodi promissionis vigore, eâ lege inter alias adstrictum teneri ut à servitio Ecclesiæ, cui in ordinatione addictus fuerit, discedere nequeat sine licentiâ Episcopi.” Hæc cum ita sint, visum est S. Congregationi Episcopos Baltimorenses de obedientiâ illâ loquentes graviore modo illam explicasse ac Benedictus XIV fecit. Nam sapientissimus ille Pontifex affirmavit obedientiæ promissionem illam efficere ut Sacerdos sine Episcopi licentiâ discedere nequeat ab Ecclesiâ, cui in ordinatione addictus est; Synodus verò Baltimorensis decernit, *vi*

promissionis in ordinatione emissæ, teneri Sacerdotes ad obediendum Episcopo præcipienti ut cuilibet Missioni intra Diœcesim vacent. Quare S. Congregationi placeret potiùs hæc verba in memorato Decreto adhiberi: *Monemus Sacerdotes ut, memores promissionis in ordinatione emissæ, non detrectent vacare cuilibet Missioni ab Episcopo designatâ.*

Secundum Decretum statuit Sacerdotes, *vi promissionis in ordinatione emissæ, teneri in Diœcesi manere, et obedire Episcopo, quoad ab Episcopo canonicè non fuerit dimissus.* Hæc magis consentanea sunt iis quæ superiùs demonstratum est à Benedicto XIV explicata esse: addi tamen verba nonnulla possent, quibus ostendatur circa Sacerdotes qui ad religiosum aliquem Ordinem transire volunt, servari debere quæ Benedictus XIV in nuper citatâ Constitutione de eâ re docet.

In quinto Decreto, ostenditur quantoperè Synodus cupiat in posterum non ædificari novam aliquam Ecclesiam, *nisi fuerit Episcopo in cultum divinum et utilitatem fidelium instrumento scripto adsignata, quandocumque id fieri poterit.* Valdè optandum esset Episcoporum vota hac de re impleri, ad vitanda præsertim incommoda quæ hactenùs in Americâ ob Ædituorum agendi rationem Ecclesia passa est: ut verò constet per hoc Decretum Episcopos nolle Regularibus aliquod detrimentum afferre, addi posset Regularium privilegia sarta tecta servari secundum ea quæ à jure Canonico, et Romanorum Pontificum Constitutionibus decreta sunt.

In sexto Decreto, ubi Episcoporum auctoritas defenditur circa institutionem Pastorum, hæc verba adhibentur: *Hoc nostro Decreto declaramus repugnare prorsus doctrinæ et disciplinæ Ecclesiæ jus*

illud à Laicis assumptum instituendi seu dimittendi Pastores. Optaret S. Congregatio hæc verba præterea adjungi: *Litteris Apostolicis sanct. mem. Pii PP. VII, et Leonis XII, ac S. Congregationis responsis inhærentes, hoc nostro Decreto declaramus, etc.* Ita enim luculentius apparebit quanto studio Sedes Apostolica conata sit Episcoporum jura contra Laicorum usurpationem defendere. In eodem Decreto sexto declaratur *nullum jus Patronatûs cujuscumque generis, quod sacri agnoscunt Canones, competere alicui personæ, Laicorum Congregationi, Ædituorum cætui, seu aliis quibuscumque personis in hac Provinciâ.* S. Congregationi visum est addi posse vocem *hactenûs* declarationi quæ nunc memorata est: licet enim nunc Episcopis constiterit nullum jus patronatûs ejusmodi in Fœderatis Provinciis ad quemlibet pertinere, poterit fortassè aliquandò in posterum contingere ut, etiam in iis regionibus, jus patronatûs obtineat, servatis quæ à Sacrosancto Concilio Tridentino statuta sunt Sess. 24, Cap. XII; et Sess. 25, Cap. IX de Ref.

In octavo Synodi Baltimorensis Decreto habetur: *Præsules urgemus omninò ad interdicendum Ecclesiam* in quâ, invito Episcopo, Sacerdos aliquis sacro munere fungitur, vel facultatibus utitur ab Episcopo revocatis. Optat S. Congregatio in hoc Decreto, ad graviora mala vitanda, Episcopos ejusmodi verbis uti, quæ ostendant tum demùm interdicti posse Ecclesiam, cum cetera omnia remedia inutilia esse appareat.

In nono Decreto, sermo est de versione Anglicâ Sacræ Scripturæ, quæ dicitur Duacensis. S. Congregatio cupit expungi verba illa *Sanctæ Sedis approbatione donata*: diligentissimè enim institutâ hu-

jus rei investigatione, constat eam versionem à S. Sede approbatam non esse. Fortassè hujus approbationis argumentum existimatum est Breve Apostolicum Pii VI ad R. P. D. Martini, Archiepiscopum Florentinum; quod Breve refertur in editione illius Duacensis versionis factâ anno 1815, Birmingham in Angliâ. Verùm illud Breve ab Editore in memoratâ editione commemoratum est tantummodò ut constaret Sedem Apostolicam non esse contrariam generatim versionibus vulgaribus Bibliæ, si rectè fiant, et servatis servandis: Pius VI autem in eo Brevi non de versione Duacensi loquitur, sed de versione Italâ ipsius R. P. D. Martini. Quod spectat præterea ad novas editiones illius versionis Duacensis, quas Episcopi Baltimorenses commendant fieri emendatissimè in posterum, S. Congregatio cupit servari quæ circa regulam quartam Indicis Concilii Tridentini præscripta sunt, videlicet, ut fiant *cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex doctis catholicisque viris.*

In Decreto decimo sexto statuitur: *In oppidis ubi Ecclesia est, extra eam Baptismus non conferatur.* S. Congregatio intelligens cujus gravitatis sit generalem legem in regionibus illis servandam statim ferre, cui contraria est consuetudo; præ oculis habens domiciliorum magnam distantiam ab Ecclesiâ, etiam in oppidis ubi Ecclesia est, Episcopis commendat Decretum, de quo sermo est, in hunc modum immutare, ut appareat, habitâ ratione magni spatii quo sæpè Ecclesia distare solet à locis ubi incolarum domicilia sunt, licere posse Baptismum extra Ecclesiam conferre; curandum tamen esse, quoad fieri potest, ut hoc Sacramentum in Ecclesiâ conferatur; Episcoporum denique et Missionariorum prudentiæ

relinquendum esse ut statuatur quando sint urgenti fideles, ut infantes ad Ecclesiam deferant, ut baptismus eis conferatur.

In decimo septimo Decreto declaratur *Infantes A catholicorum, quos ipsi parentes afferunt, baptizandos esse quoties probabilis affulget spes catholice eorum educationis.* Huic Decreto, prout S. Congregatio Supremæ Inquisitionis (feriâ 4, 12 Septembris 1827) statuit, addendum est: *Curandum autem omninò ut Patrinus, vel Matrina, iique Catholici habeantur.* Addi præterea debet, ubi agatur de infantibus hæreticorum in mortis periculo, eos baptizari non modò posse, *sed etiam debere.*

In decimo nono Synodi Decreto, in quo statuitur puerperam in Ecclesiâ benedicendam esse, vel in locis ubi Sacrum fit, adhiberi tantùm debent verba ejusmodi, quæ insinuationem contineant, et Episcopos ita optare ostendant: nam valdè periculosum est contrarium morem generali lege repentè mutare. Præterea, Rituale Romanum non præscribit ejusmodi benedictionem in Ecclesiâ fieri; multoque minùs vetat benedictionem hanc iis puerperis conferri, quæ Paschale præceptum non impleverint, vel Sacramentalem confessionem paulò antè non fecerint, prout in memorato decimo nono Baltimorensi Decreto continetur.

In Decreto vigesimo primo, ubi agitur de Confirmationis sacramento nemini ministrando minori septennio, *nisi ob particulares rationes*, opportunum fortassè erit addere, *ex. gr. infantibus in mortis periculo*: ita enim explicabitur quænam rationes esse possint Sacramenti illius ministrandi etiam puero ante septem annorum ætatem.

In vigesimo secundo Decreto de schedulis quæ dandæ sunt iis qui Confirmationis sacramentum suscipere volunt, ut, iisdem Episcopo allatis, memoratum Sacramentum accipiant, statuitur eas schedulas *vel à Pastore, vel à Confessario dandas esse.* Cùm verò ideò eas schedulas dari in Decreto præscribatur *ne aliqui haud ritè dispositi accedant*, non erit opportunum dicere eas schedulas à Confessario dandas esse, ne aliquod dubium nascatur de secreti sacramentalis violatione, si ille schedulam dare recusaverit.

In vigesimo quinto Decreto, ubi de Confessionibus agitur erigendis in publicis Ecclesiis, optat S. Congregatio ea verba ab Episcopis adhiberi, ut ostendatur ab iisdem prohibitum non esse confessiones virorum audire extra Confessionale. Quod spectat verò ad confessiones mulierum, S. Congregatio censet addendum esse ut ubi, ex speciali Ordinarii licentiâ, extra Confessionale audiantur, *nunquam nisi per crates interpositas excipiantur, et in loco patenti, quantum per loci rationem licebit.*

In Decreto vigesimo octavo, statuitur: *Evitent Sacerdotes lusum alearum et chartarum.* Nimiùm rigorosum visum est S. Congregationi lusum chartarum generatim prohibere. Concilium Trident. (Sess. 24, Cap. 12, de Ref.) voluit Clericos *ab illicitis lusibus abstinere*; præterea S. Carolus Borromæus, in suâ primâ Provinciali Synodo, inter eos ludos qui Clericis vetantur, chartarum ludum non numerat: quare videtur vocem illam *chartarum* omitti posse, et potiùs Clericis ob oculos poni debere, *provisus oportere eos ab illicitis ludis abstinere.*

In Decreto trigesimo primo, ubi statuitur librum Cæremoniarum ex probatis operibus componendum